



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in  
co[n]uentu Norembergensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,  
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab  
eodem legato|| ...**

**Hadrian <VI., Papst>**

**Norembergæ, 1523**

**VD16 K 320**

21 De Ecclesiasticis Beneficiis, curatis, & non curatis, in genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

aliunde, q̄ ex Curtisanorum manu, magna numerata pecunia, aut pensione annua reseruata a sequi possit. Nec in hoc Curtisanorum inexplicabilis auris sitis contenta quiescit, quin nouas quotidie artes excogitet, qualis est & illa: cum super beneficio aliquo vacaturo, duo aut tria millia aureorum ad futuros casus reseruantur collatoribus ordinarijs, tam ecclasiasticis, q̄ sacerdotalibus, eorumq; iuri ordinario, ac ipsis deniq; ecclesiasticis beneficijs in prae grande exitium, pernitiem, at tenuationem & detrimentum. Nam quum casus aliquis futurum reseruationum existit, adsequiturq; is beneficium, cui prius tot reseruata erant super hoc millia, tum ad supremam opem, technas profecto inauditas, configunt, permutatio- num, s. reseruationem, surrogationem, reseruantes sibi ingressum, regressum, accessum, atq; alias id genus decipulas, quibus ius ordinariorum, collatorum ita exhaustur & attenuatur, vt aut nunq; aut vix tandem post multorum annorum curricula, patroni ac collatores ordinarij ad ius suum patratus peruenire possint.

### DE ECCLESIASTICIS BENEFICIIS,

curatis, & non curatis, in genere.

Nec minus & illud in Romana curia hucusq; obseruatū est, vt gratiae & reseruationes pectorales, mentales, generales & speciales regressus, accessus, incorporatiōes, vniones, & concordata, quod suis vocant excogitatis nominibus, ob pecuniae & priuati lucri amorem, super beneficijs ac praelaturis, præsertim per Germaniam, Curtisanis a sede Romana concederentur. Nec hoc contentus fuit habendi sceleratus amor, quin & ea ipsa beneficia ac praelaturæ predictæ, societatibus mercatorq; potentū ere, cū onere cēsus mediocris, sed ita, vt dehinc lati viderentur, cōcedūtur. Qua subtili practica atq; techna factum est, q̄ plurima, aut certe pinguium beneficiorum, magna, si non maxima portio ex Germanorum manu Romanam est translata, que beneficia hinc idiotis inido-

ries, ac in honestis etiā psonis, non raro sunt collata, & quidē  
nec Germanis, sed barbaris, qui germanā linguā neq̄ loquā  
tur, nec intelligant, vt in auditū dictu hoc inde sit secutum, q̄  
quibus Christi praefecti sunt pastores, quorum etsi oues vo-  
cem forte audierint, non intelligant. Verum grauius etiam  
inde oritur Germanis onus, q̄ quum beneficia hēc & parro-  
chiales ecclesias ipsi propria persona neq̄ possidere, neq̄ ḡu-  
bernare possunt ( Quod tamen pastoris officium in primis  
sibi postulabat ) Nimirum ut subditis parochialibus, & in-  
tegritate ac innocentiae morum, egregiū de se preberet exem-  
plum, vt oues suas, tanq̄ oues Christi, doctrina solida, syncea-  
ra, ac ex puris Euangelij fontibus hausta, quantum ad salua-  
tem animarum ouium pertineret, ipsi pastores met pasceret.  
Eorum vero neutrum per pastores illos subdititios curatur.  
Primum enim ipsi, qui beneficia hēc ecclesiastica a merca-  
toribus, quo prædictum est, assequuntur modo, quia propria  
persona possidendū ea sunt minus idonei, Ideo hēc eadē alijs  
eque, aut longe etiam q̄ sint, ad onus hoc inhabilioribus, pro  
annuo censu locant, non secus, atq̄ census ac redditus annui  
ex agris locantur & emuntur, vt is demum habeatur emi-  
ptor idoneus, qui pluris mercem licitauerit. Ita plane pro  
precij quantitate elocantur, nunc per Curtisanos Ecclesiastica  
beneficia. Dehinc quum fere fiat, vt maius precium  
annuum offerat, qui ad ecclesiæ munus q̄ minimum sit ido-  
neus, evenit, vt conducent illi pastores ( an prædones recti-  
us quis eos dixerit, dubium est ) simplici Christi plebeculae  
pro Euangelij limpidiſſimo fonte, turbidas, protritas, ac ru-  
deribus oppletas, propinent lacunas, dum legendas quas  
vocant Sanctorum, nec ab ecclesia receptas, & gentilibus  
fabulis, q̄ Christianæ & Euangelicæ doctrinæ ſimilioribus,  
ad populum Christi publice in concione docent. Quid enim  
aliud docerent indocte docti, ac idiotæ illi, qui lanam magis  
q̄ ſalutem ouium, vt curarent, munus hoc Ecclesiasticum pe-

eunia etiam non modica conduxerūt ac mercenarij sunt, nō  
( quod Euangelium abominatur ) pastores . Ita enim fit , vt  
Christi simplex plebecula, per supposititios hos pastores, a  
germana Christi fide, ac in deum fiducia, in quibus sola res  
quiescit animæ salus , ad hominum superstitiona somnia ac  
commenta, per quæ res familiaris mercenariorum condu-  
ctitiū, q̄ Christi gloria augeatur potius, ducatur, trahaturq;,  
ac multiplicibus etiam exactionibus interim grauetur plebs  
Christi , quando hoc solum curāt conductores, vt vltra pen-  
sionem locatori pendendam, res ipsa eorum quoq; reddatur  
laetior, exp̄laturq; interea suis nummis ab exteris nationi-  
bus , vnde nulla nec mutua benevolentia , aut gratiarum  
actio speranda ei est Germania : quanq; beneficia hæc non  
ad exterios, sed suos, hoc est Germanos vt pertinerent, primū  
fundauerit. Quapropter sacri Romani Impe. Status obnixe  
quoq; rogan, vt præfata onera ac grauamina, per quæ tam  
immenso pecuniariū cumulo spoliatur Germania, quæ hinc  
per Curtisanos male prodigitur, radicitus ac penitus tollan-  
tur & auferantur , ita vt beneficia per Germaniam nemini,  
q; natis Germanis, qui personaliter ea possideant; id quod &  
æquitas & honestas ipsa sibi postulat: post hac conferantur,  
ac concedatur.

QVIBVS NEXIBVS ARCHIEPISCOPI AC EPI-  
scopi a suis Capitulis ob collationē beneficiorū sint astricti.

22. Nec tantū beneficia ac parrochiales ecelesiæ Romæ ob pe-  
cuniæ fauoris, aut familiaris consuetudinis amore, indoctis,  
turpib⁹, ridiculis, ac offendiculor⁹ plenis conferuntur psonis.  
Sed & simile qddā ab Archiep̄is & Ep̄is cōmittit, qui p eorū  
capitulares congregatiōes ita obligātur, vt omnia ppingua  
bñficia, curata, ac non curata (q; pculdubio a fundatorib⁹ pri-  
mum, vt ad doctos ac integros pertineret viros, sunt funda-  
ta ) Capitularibus Canonicis , vtcunq; ad hoc idoneis , con-  
ferre necessum habeant, qui dehinc talia beneficia simplicia  
ac curata.